

Articulus Decimus Quartus.

De mittenda Suae Majestati Sacratissimae in eo humillima Repraesentatione, ut Benignae Resolutiones Regiae ad demissas Statuum et Ordinum Repraesentationes eddendae iisdem Statibus et Ordinibus immediate per Benigna Rescripta Notae reddantur.

Quoniam Inclyti Domini Status et Ordines horum Regnorum id observassent, quod ad demissas eorum ad Suam Majestatem Sacratissimam factas Repraesentationes additae Resolutiones per Rescripta non immediate ad eosdem, sed ad Suam Excellentiam Banalem directa, aut vero per Praesidiales Suae Excellentiae Domini Comititis Cancellarii Litteras ad Suam Excellentiam Banalem exaratas Notae reddantur, Inclyti autem Status et Ordines hactenus semper Benignas Resolutiones ad demissas suas Repraesentationes in Benignis Augustae Aulae ad eosdem Inclytos Dominos Status et Ordines expeditis Rescriptis accepissent: ex eo altefatam Suam Majestatem Sacratissimam humillime exorandam determinarunt, quatenus in futurum Benignas Suas Resolutiones ad humillimas Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum Repraesentationes eddendas immediate iisdem per Benigna sua Rescripta Notas clementer reddere dignetur.

Originale in Archivo Regni Croatiae.

1802. MENSE APRILI. ZAGRABIAE.

Articulus Generalis, Anno 1802. 7. et sequentibus Mensis Aprilis diebus, Zagrabiae, celebratae Congregationis.

Anno Domini Millesimo Octingentesimo Secundo, die 7. et sequentibus Mensis Aprilis, in Libera Regiaque Civitate Montis Graecensis Zagrabiensis, ex Edicto, et sub Praesidio Excellentissimi ac Illustrissimi Domini Comititis Joannis Erdödy de Monyorokerek, Arcis et Comitatus Varasdinensis Haereditarii Capitanei, Montis Claudii et Inclyti Comitatus Varasdinensis Perpetui Supremi Comititis, Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae Bani, eorundemque Regnorum Confiniorum Colapianorum et Vunnanorum Supremi Capitanei, Sacratissimae Caesariae Regiae et Apostolicae Majestatis Camerarii et Actualis Intimi Status Consilarii, Generalis Equitatus, Unius Legionis Equestris Ordinis Militiae Hungaricae, duorum praeterea Pedestrium Banalium Colonelli, et Tabulae Banalis Praesidis, Inclytorum Dominorum Statuum et Ordinum praelibatorum Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae celebratae Generalis Congregationis

Acta et Articuli.

(Caeteris exmissis.)